

De B. Virginis Mariae sanctificatione

Autor(en): **Prado, Norbertus del**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **20 (1906)**

PDF erstellt am: **14.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761883>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

behandelt hat, nicht bloß Anknüpfungspunkte, sondern geradezu Ansätze zu deren wissenschaftlichen Behandlung, und wir sind der Meinung, daß auch unter Wahrung der alten Prinzipien die Geistesfunktion in ihrer Bedeutung für die Hebung und Entfaltung der Geisteskraft in der Erfahrung gebührend berücksichtigt werden kann.

Sourbrodt.

Nicolaus Pietkin, Pfarrer.



DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Commentatio in D. Thomae Summae Theologiae P. 3. qu. 27.

SCRIPSIT

FR. NORBERTUS DEL PRADO ORD. PRAED.



Praenotanda

in universam quaestionem.

Caput I.

De ordine, quo D. Thomas procedit in hac quaestione, et de vigilantia, qua S. Doctor hac in re calamum suum temperavit.

1. Primo animadvertere oportet, quomodo Angelicus Doctor procedit in divisione huius quaestionis, ostendens miro ordine, quod erat tunc temporis firmiter ab omnibus tenendum circa sanctificationem Beatissimae Virginis; et nihil praeiudicans de his, de quibus Ecclesia nihil adhuc prorsus dixerat nec vel insinuaverat; et de quibus apud Theologos et Doctores communis sententia in contrarium erat. In sex namque articulos totam quaestionem dividit et sic per ordinem subsequentes sex conclusiones ostendit.

Art. 1. „Rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur.“

Art. 2. „Beata Virgo non fuit sanctificata ante eius animationem. Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.“

Art. 3. „Per huiusmodi sanctificationem sive per abundantiam gratiae, quam in sanctificatione recepit, Beatissima Virgo fuit praeservata ab omni prorsus pronitate ad malum et ab omni simul difficultate ad bonum.“

Art. 4. „Et ideo simpliciter est fatendum, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale nec veniale; ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. 7.: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.“

Art. 5. „Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.“

Art. 6. „Dicendum, quod B. Virgo, quae fuit a Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quam Ioannes Baptista et Ieremias.“

2. Deinde statim notandum occurrit, quod D. Thomas non quaesivit directe: Utrum Beata Virgo contraxerit actu seu de facto peccatum originale; vel e contra: Utrum fuerit praeservata ex singulari Dei privilegio ab omni originalis culpa labe. D. Thomas numquam posuit sic quaestionem, agendo de peccato originali; sed utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem eius, nempe a) in suis parentibus; b) in sua conceptione, vi ipsius conceptionis, sive virtute principiorum, ex quibus generatio perficitur; c) aut in sua carne vel corpore, antequam animaretur caro eius sive in corpore infunderetur anima. Hae sunt duae quaestiones valde diversae; et modus, quo Angelicus Doctor quaerit ac deinde quaestionem solvit in art. 2., oportet ut diligenter et accurate inspiciatur ac ponderetur a theologo, ne confundantur quae sunt, utpote ex se diversa, distincte ac seorsum consideranda.

Si agatur de difficultate ad bonum aut de pronitate ad malum aut de quocumque inordinato motu in parte irascibili vel concupiscibili, D. Thomas respondet: Beatissima Virgo fuit praeservata per abundantiam gratiae, quam in sanctificatione recepit. Si vero quaeratur de peccato personali sive actuali, sit peccatum mortale, sit veniale, D. Thomas respondet cum S. Augustino: „Cum de peccatis agitur, de Sancta Virgine Maria nullam prorsus habere volo quaestionem.“ Cum autem fit sermo de peccato originali, D. Thomas non quaerit nisi de sanctificatione; et nihil determinat nisi quod huiusmodi sanctificatio „non potest intelligi ante eius animationem“.

3. Itaque ex omnibus sex conclusionibus per totidem articulos huiusce quaestionis 27. nihil est immutandum,

nihilque corrigendum; sed omnes ac singulae manent firmae et stabiles; et adhuc stabiliores, quia redduntur clariores, postquam in Bulla Dogmatica „Ineffabilis Deus“ Pius IX. Romanus Pontifex suprema sua auctoritate definivit: „Doctrinam, quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.“

4. Si Angelicus Doctor iterum scripserit hodie hanc sic pulchre ordinatam quaestionem de Sanctificatione Beatissimae Virginis Mariae, tantummodo hoc adiungeret a) in art. 2: Relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem, non posterioritate temporis, sed naturae et ordinis dumtaxat; determinando quod veluti ex intentione videtur reliquisse indeterminatum. b) Et deinde ad 3., loco dicendi: „Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur,“ diceret: „Scimus quod in primo instanti suae existentiae vel animationis eius.“ c) Et inter art. 2 et 3 interponeret articulum hodie interponendum: Utrum sit de fide, quod B. Virgo fuit sanctificata in primo instanti suae animationis; et rationes theologicae allatae in art. 4 militarent similiter pro novo art. adiungendo in hac famosa quaestione. Nam Angelicus Doctor semper locutus fuisset conformiter ad verissima principia ab ipso stabilita, iuxta quae theologus debet semper loqui de Beatissima Virgine. Videlicet:

Caput II.

Principia stabilita a D. Thoma, iuxta quae Theologus debet loqui de Beatissima Virgine Maria.

Primum principium: „Credendum est, Beatissimae Virgini collatum esse, quidquid conferri potuit.“ Lib. 3. Sent. d. 3. qu. 1. a. 1.

Alterum: „B. Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit.“ Ibidem a. 2.

Tertium: „B. Virgo super alios sanctos a peccato prior fuit.“ Ibid. a. 1. sol. III. „Plus gratiae est collatum Virgini Matri Dei, quam alicui sanctorum.“ 3. P. qu. 27. a. 2.

Quartum: „Sub puritate hominis Dei maximam Virgo Mater eius habere debuit.“ 3. Sent. d. 3. qu. 1. a. 1. sol. II. ad. 3.

Quintum: „Sanctificatio B. Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum.“ Ib. a. 2. solut. I. ad 4.

Sextum: „Rationabiliter creditur, quod illa; quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit.“ 3. P. qu. 27. a. 1.

Septimum: „Angelus erat maior homine quantum ad tria. Primo quantum ad dignitatem. Secundo quantum ad familiaritatem ad Deum. Tertio quantum ad plenitudinem splendoris gratiae Divinae. B. Virgo excessit angelos in his tribus.“ Expositio in Salutationem angelicam (Opusculum).

Octavum: „Sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas.“ 3. P. qu. 27. a. 2. ad. 2.

Nonum: „B. Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem; quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae caeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.“ Ibid. 5.

Decimum: „B. Virgo, quae fuit a Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Ioannes Baptista et Ieremias.“ 3. P. qu. 27. a. 6. ad 1.

Undecimum: „In B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato; ideo pervenit ad summum puritatis; sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, quantum in se est.“ 1. Sent. d. 17. qu. 2. a. 4. ad 4.

Duodecimum: „Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit, tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.“ 1. Sent. d. 44. qu. 1. a. 3. ad 3.

Caput III.

Quid sit iustitia originalis et quid originale peccatum.

1. Iustitia originalis vocatur rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccl. 7. v. 30:

„Deus fecit hominem rectum.“ Erat enim haec rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo; rationi vero, inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subiectio erat causa secundae et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur. 1. P. qu. 95. a. 1.

2. Unde iustitia originalis includit gratiam gratum facientem, sed importat plura alia, videlicet ex parte corporis impassibilitatem et immortalitatem seu incorruptionem, id est carentiam doloris, infirmitatis, cuiuscumque mali poenalis et ipsius mortis; ex parte appetitus sensitivi exprimebat, nullam esse repugnantiam ad rationem, nec actualem nec habitualement; nullamque pronitatem ad malum aut difficultatem ad bonum; et ex parte rationis nullam obscuritatem ignorantiae, nullamque ex parte voluntatis debilitatem. Sic Caietanus: „Non est doctrina D. Thomae, quod iustitia originalis sit idem quod gratia; sed gratia gratum faciens, de qua est sermo, sit velut radix iustitiae originalis . . . Quasi iustitia originalis fuisset quasi gratia quaedam gratis data, fundata super gratiam gratum facientem.“

3. Iustitia originalis, cuius radix est ipsa gratia gratum faciens, erat quoddam donum divinitus datum toti creaturae; et si Adam non peccasset, cum huiusmodi iustitiae dono toti speciei divinitus dato homines ex Adamo nascerentur. 1. P. qu. 100. a. 1.

4. Peccatum autem originale, quod opponitur illi iustitiae, dicitur esse peccatum naturae, unde traducitur a parente in posteros. Peccatum originale in Adamo et in omnibus, qui ex Adamo secundum ordinariam legem humanae generationis originem trahunt. In Adamo enim peccatum fuit et actuale et originale formaliter: unde in illo fuit peccatum personae simul ac naturae; in illo habuit rationem peccati mortalis et rationem peccati originalis: peccati quidem mortalis, quia fuit per actum proprium et in actu proprio, nam peccavit actuali aversione suae voluntatis a Deo; peccati quoque originalis, quia et natura in ipso fuit quoque privata dono iustitiae originalis debitae sibi cum inordinatione virium. Unde quando post poenitentiam iterum gratiam gratum facientem assecutus est, non tamen donum originalis iustitiae recuperavit.

5. Peccatum autem originale in filiis Adae non est per propriam voluntatem ipsorum, sed est in eis per naturam, quam accipiunt ex Adamo generatam. Etenim peccatum

originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, in quo omnes peccaverunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. 1. II. qu. 83. a. 1.

6. Peccatum originale non est peccatum huius personae, nisi in quantum haec persona recepit naturam a primo parente: unde et vocatur peccatum naturae. (1. II. qu. 81. a. 1.) Inde quod gratia sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale personam inficit, est enim gratia perfectio personalis; peccatum vero originale directe est vitium naturae; et ideo non oportet, quod gratia sanctificans a parentibus traducatur, si peccatum originale traducatur, sicut et originalis iustitia, cui directe opponitur, traducta fuisset. 3. Sent. d. 3. qu. 1. a. 1.

7. Inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario; non est enim voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. (Appendix qu. 1. a. 1. ad 2. 2. Sent. d. 33. qu. 2. a. 1.)

8. Peccatum originale inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistebat ratio originalis iustitiae. Unde dicitur languor naturae. Non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus in ordine ad naturam, per vitiatam originem innatus. Haec autem inordinata dispositio naturae habet rationem culpae et rationem poenae. Rationem quidem culpae, in quantum derivatur ex primo parente. Rationem vero poenae, in quantum est privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subdebatur Deo. 1. II. qu. 82.

9. Unde in peccato originali plura continentur: 1. illud, quod est formale, scilicet defectus originalis iustitiae. 2. illud, quod est materiale, nempe omnia, quae ad originalis iustitiae privationem consequuntur, ut concupiscentia sive quaecumque omnis alia inordinatio virium animae.

10. Effectus peccati sunt: 1. Quaedam corruptio boni naturae. 2. Macula animae. 3. Reatus poenae.

Corruptio omnis boni supernaturalis, scilicet originalis iustitiae, quae totaliter est ablata per peccatum primi parentis. Corruptio ipsius boni naturalis, in quantum inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum. 1. II. qu. 85. a. 1. et 2. Haec autem duplex corruptio vocantur

vulnera naturae ex peccato consequentia; et sunt quatuor vulnera ista: vulnus ignorantiae, vulnus malitiae, vulnus infirmitatis, et vulnus concupiscentiae. (Ib. a. 3.) Tertia autem corruptio boni naturae sunt mors et alii corporales defectus, qui originaliter proveniunt ex peccato primi parentis. (Ib. a. 5.)

11. Anima sua actione se inquinat, inordinate rebus inferioribus inhaerendo contra lumen rationis et divinae legis. Unde detrimentum nitoris ex refulgentia luminis tam naturalis quam supernaturalis provenientis, causatum per inordinatam conversionem ad bonum creatum, vocatur macula. (1. II. 86. a. 1.) Macula peccati remanet in anima etiam transeunte actu peccati. (Ib. a. 2.) Unde privatio coniunctionis ad Deum ex peccato est illud formale, propter quod homo post actum peccati dicitur peccator. Privatio nitoris est effectus eius. Eadem tamen est privatio, qua homo elongatur a Deo et privatur nitore gratiae. Per caritatem anima Deo iuncta conformatur Deo, convertitur ad illum, coniungitur illi, illuminatur ab illo, fulget ex illo. Et per oppositum privatio coniunctionis ex peccato opposita facit: et haec opposita, elongatio dissimilitudo aversio macula dicuntur.

12. Reatus poenae est effectus peccati. Poena est duplex: temporalis et aeterna. Poena autem aeterna dividitur in poenam sensus et poenam damni. Peccata caritatem auferentia inducunt reatum poenae aeternae. Duratio poenae respondet durationi culpae, non quidem ex parte actus, sed ex parte maculae. (Qu. 87.) Reatus poenae respondens peccato originali sunt omnia, quae consequuntur ad maculam peccati originalis provenientem ex privatione originalis iustitiae. Inter haec, quaedam respiciunt primo personam habentem naturam ex Adamo; quaedam respiciunt primo ipsam naturam. Quae respiciunt personam, sunt: 1. Macula originalis peccati. 2. Poena carentiae visionis divinae. Quae respiciunt primo naturam, sunt: 1. Ea, quae se habent tamquam materiale in peccato originali, scilicet inordinatio virium animae, concupiscentia, fomes peccati, et poenalties praesentis vitae (sicut mors fames sitis etc). 2. Reatus clausae ianuae coelorum ante mortem Domini nostri Iesu Christi. 3. P. qu. 69. Appendix qu. 1. a. 1. et 2.

13. Minor poena debetur originali quam veniali. Nec obstat, quod originale non compatitur secum gratiam: privatio enim gratiae non habet rationem culpae, sed poenae

nisi in quantum ex voluntate est: unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa. Appendix qu. 1. a. 1.

14. Porro in peccato originali sunt diligenter distinguenda plurima, quae in eo continentur, et quorum quaedam sunt separabilia a macula culpae originalis, quaedam autem inseparabilia. Peccatum itaque originale amplectitur: 1. privationem iustitiae originalis, in quantum habet rationem culpae, ad quam sequitur in nobis macula personalis. 2. Reatum poenae correspondentem huic maculae culpae, scilicet carentia seu privatio aeterna gloriae sive beatitudinis, quae consistit in visione Divinae Essentiae. 3. Quatuor vulnera inflictata toti humanae naturae ex peccato primi parentis in quatuor potentiis animae, quae possunt esse subiecta virtutum. 4. Mors corporalis et alii defectus ac poenalitates temporales quae viam parant ad mortem et praecedunt illam. 1. II. qu. 85. a. 3. et 6.

15. Praedicti defectus per naturalem originem traducuntur ex eo, quod natura destituta est auxilio gratiae, quod ei fuerat in primo parente collatum, ad posterum simul cum natura derivandum, et quia haec destitutio ex voluntario peccato processit, defectus consequens suscipit culpae rationem. Sic igitur defectus huiusmodi et culpabiles sunt per comparisonem ad primum principium, quod est peccatum Adae; et naturales sunt per comparisonem ad naturam iam destitutam. Unde et Apostolus dicit ad Ephes. c. 2. v. 3. „Eramus natura filii irae.“ Lib. 4. c. gent. cap. 52.

Caput IV.

Dogma catholicae fidei de transmissione peccati primi parentis per originem in posterum.

1. Secundum fidem catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posterum. Contrarium dicere est haeresis Pelagiana damnata ab Ecclesia. Ad Rom. cap. 5. Concil. Trident. sess. 5. can. 2. Concil. Milevitan. et Arausic. II. S. Augustinus lib. de nat. et grat. cap. 41; lib. 6. contra Iulianum cap. 3; lib. 20. de Civitate Dei cap. 6.; lib. de fide ad Petrum cap. 26. 1. II. qu. 81. a. 1.

2. Per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio. Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam

generativam motionem. Culpa non est actu in semine, est tamen ibi virtute humana natura per quamdam generativam motionem. (Ibid.)

3. Subiectum peccati originalis est anima, non autem caro; subiectum vero poenae est totus homo et quoad animam et quoad potentias animae et quoad corpus.

4. Infectio originalis culpaе seu peccati nullo modo causatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem. Unde anima non inquinatur ex sua creatione; anima non inquinatur per infusionem habito respectu ad Deum infundentem, sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur. 1. II. qu. 85. a. 1.

5. Peccatum originale habet duplicem processum: unum quidem a carne ad animam, alium vero ab essentia animae ad potentias. Primus est secundum ordinem generationis, secundus secundum ordinem perfectionis. Unde primum subiectum originalis peccati est essentia animae, quae maculatur per infusionem, quatenus infusio importat respectum, non quidem ad Deum infundentem, sed ad carnem, cui infunditur. Deinde peccatum originale per prius respicit voluntatem, postea intellectum, postea appetitum sensitivum et denique ipsam carnem seu corpus iam animatum per infusionem animae rationalis. 1. II. qu. 83.

6. Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines praeter solum Christum ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt; alioquin non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum; quod est erroneum. 1. II. qu. 81. a. 3.

7. Ergo iuxta fidem catholicam omnes ex Adam derivati excepto solo Christo debent incurrere in peccatum originale, id est contrahunt ex debito originale peccatum. Ergo omnes excepto solo Christo peccaverunt in Adamo. Ergo omnes aliquo modo mortui sunt morte peccati. Ergo omnes indigent redimi ac liberari a peccato per Christum, qui est Salvator omnium. Ergo Christus mortuus est pro omnibus sine exceptione. Ergo omnes sine exceptione fuerunt reconciliati Deo per Christum. Ergo omnes redempti per mortem Christi et emundati a peccato sanguine Christi. Ergo omnes sine exceptione iusti fiunt per gratiam Christi et ratione meritorum Christi. Ergo omnes homines, uno vel altero modo, ex facto vel saltem ex obligatione, actu vel saltem ex debito, incurrunt in primum peccatum primi parentis et fuerunt ex vi suae generationis vere captivi

et subiecti morti et in sua conceptione nati filii irae ex lege conceptionis suae. Ergo solus Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, vi conceptionis suae, ex facto et ex iure, actu et ex debito. Quapropter peccatum primi parentis nullo modo contraxit, quia nullo modo contrahere poterat nec debebat.

8. Adverte duo circa universalitatem peccati originalis.

1. Quoad fidem catholicam spectat, quod omnes praeter solum Christum contrahant peccatum originale. Non expectat fidem, an aliquis de speciali praerogativa gratiae non incurrat actualiter originale peccatum; spectat tamen, quod incurrat necessitatem habendi peccatum originale. Si enim peccatum originale vel in actu vel in necessitate habendi illud quis non incurrerit, non egeret redemptione: quod haereticum est dicere. Sed si omnes obnoxii peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis; neque solum eget redemptione actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et haec bene notabis tu, Thomista, ne nimio zelo non secundum scientiam accensus erronea dixeris, quae vere non sunt, cum de B. Virginis conceptione disputaveris aut praedicaberis.

2. Notandum est quod, licet ad fidem non spectet tamquam necessario credendum, utrum aliquis actualiter non habuerit ex speciali gratia originale peccatum¹, per hoc non excluditur, quin expectare possit tamquam probabile propter auctoritates Sanctorum. Multipliciter enim aliqua spectant ad Sacram Theologiam. Propter quod oportet, hominem sobrie se habere et diabolicas aemulationes, detractiones, rixas tam sub pietatis quam zeli umbra evitare ac Spiritui Sancto obicem non ponere, iure iurando firmando hoc vel illud. Haec Caietanus 1. II. qu. 81. a. 3.

Atque hanc christianam sobrietatem servandam a Theologis et praedicatoribus commendabat in tractatu de Conceptione B. Mariae Virginis, Romae edit. 1515. et Leoni X. oblato, cap. 3, ubi sic scribit: „Quocirca coercendae sunt Praedicatorum linguae, Scriptorumque manus in hac quaestione, et neutram debent damnare partem ut erroneam, ut fidei, ut Sacrae Scripturae aut Ecclesiae determinationi contrariam; sed sobrie scribere et loqui debent et non plus sapere, quam oportet iuxta Apostolicae Sedis praeceptum a Sixto IV. editum. Quod iterum repetit 3. P. qu. 27. a. 2.

¹ De Beatissima Virgine hodie spectat iam ad fidem post Bullam Dogmat. „Ineffabilis Deus.“

haec adiungens: „Verum opinio ista media, quamvis nova, quamvis aliena a doctrina antiquorum Doctorum et a doctrina Sanctorum communiter, quia tamen nihil contra fidem sustinet, et Apostolica Sedes decrevit, donec fuerit decusum, absque haeresis criminisq[ue] labe utramque contradictionis partem teneri posse: unaquaeque provincia in suo sensu abundet, modo prompta sit Ecclesiae Sanctae definitioni subesse.“¹

Caput V.

Ex quibus principiis quaestio de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis determinanda est.

1. Quamvis ad fidem catholicam exspectant omnes, excepto solo Christo, indigere redemptione a peccato, et consequenter omnes praeter Christum contrahere peccatum primi parentis; non est tamen necessarium, ut salvetur veritas huius dogmatis, quod omnes actu incurrant in peccatum, sed sufficit, quod incurrant in necessitatem habendi peccatum. Etenim, ut ait Caietanus, „non solum eget redemptione actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati.“ Et D. Thomas lib. 4. Sent. d. 43. qu. 1. a. 4. ad 3. in solutione I: „Liberare autem a malo vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit vel in malum deiectus fuit . . . Cum debito natus postea per gratiam Christi liberatur.“ Unde praeservatio alicuius a peccato originali est exceptio, quae non tollit, sed firmat regulam generalem in contrarium.

2. Sed aliud est, quod aliquis possit praeservari a contrahendo actu peccatum originale; et aliud est, quod de facto aliquis praeservatus fuerit. Quaestio de facto nequit ostendi ex solo hominis ratione aut ex principiis Philosophiae. 1. Quia tale factum pertinet ad ordinem supernaturalem gratiae; et si ipsa existentia peccati originalis

¹ Et tamen Caietanum sic prudenter se gerentem carpit ac mordet Ambrosius Catharinus, Ord. Praed., qui aliunde ingeniose eleganti abundantia et vehementia propugnat Immaculatam Conceptionem Divae Virginis in opusculo tribus libris diviso, in quorum 1. et 2. refutat adversarios; in 3. B. Virginem fuisse praeservatam ex singulari Dei privilegio per plurimas vias conatur persuadere; et concludit ita: „Considera, Lector, pone si quem habes affectum, et dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.“ Atque in 3. libro ait: „Sunt enim paene quingenti anni, ex quo hoc festum cepit alicubi celebrari; qui mos crevit semper, ut et Romana Ecclesia circiter annos octoginta eam celebrationem magno cum favore atque indulgentiarum honore recepit; cuius certe sola auctoritas persuadere deberet.“

non demonstratur, sed creditur, a fortiori credenda, non demonstranda exceptio sive praeservatio ab originali peccato; nam „peccati originalis in humano genere probabiliter quaedam signa apparent.“ Lib. 4. c. gent. cap. 52. 2. Quia tale factum pendet ex sola Dei voluntate; et ea enim, quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. 3. P. qu. 1. a. 3.

3. Ergo factum de Immaculata Conceptione non potest nobis innotescere nisi ex divina Revelatione. Divina autem Revelatio continetur in libris scriptis, quorum collectio vocatur Sacra Scriptura, et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt. (Concil. Trident. sess. 4. Decret. de can. Scripturis.)

4. Veritates autem supernaturales, quae continentur in desposito Divinae Revelationis, id est in libris tam veteris quam novi Testamenti, et in Divinis traditionibus, declarantur et manifestantur per praxim et consuetudines Ecclesiae Catholicae, per auctoritatem Conciliorum praesertim generalium, per scripta Sanctorum veterum, per doctrinam Theologorum et Doctorum, et praecipue per auctoritatem Ecclesiae Romanae, quae Divino privilegio et est et vocatur Apostolica.

5. Supra omnia et ante omnia in quaestionibus ad fidem et mores pertinentibus oportet respicere ad Ecclesiam Catholicam, cuius caput est Romanus Pontifex; ac proinde ante omnia respiciendum est ad Romanam Ecclesiam, quae est Sedes Petri, Sedes Apostolica atque omnium Ecclesiarum Magistra. Ubi est Romanus Pontifex, ibi est Petrus, ibi Christus, ibi Ecclesia Dei vivi. Ecclesia autem Dei vivi est columna et firmamentum veritatis. 1. Tim. 4, 15.

6. Ecclesiae fides deficere non potest, Ecclesia in credendo errare non potest. Ecclesiae est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum. Ecclesiae est declarare, quae sint vel quae non sint traditiones divinae et apostolicae. Romanus Pontifex ex cathedra loquens, ut universalis Ecclesiae Doctor ac Pastor, est ex gratia Christi, ex assistentia Spiritus Sancti, infallibilis in docendo ea, quae spectant fidem et mores.

7. Unde D. Thomas 2. II. qu. 10. a. 12. tradit regulam

supremam semper a Theologis prae oculis tenendam, cum agitur de critica locorum seu fontium veritatis theologicae et veritatis revelatae agnoscendae, videlicet: „Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda; quia et ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuiusquam Doctoris.“ Et ibidem 2. II. qu. 1. a. 10. „Ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam.“ Et ibidem 2. II. qu. 5. a. 1: Formale autem obiectum fidei est Veritas Prima, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris et in doctrina Ecclesiae, quae procedit ex Veritate Prima. Unde quicumque non inhaeret sicut infallibili et Divinae regulae, Doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex Veritate Prima in Sacris Scripturis manifestae, ille non habet habitum fidei . . . Vide etiam lib. 2. contra errores Graecorum a capite 21 usque ad cap. 27. Et lib. 4. contra gentes cap. 76. Et Concil. Vaticanum, Const. dogm. de Ecclesia Christi. Melchior Cano, de locis theolog. lib. 6. de Ecclesiae Romanae auctoritate, praesertim cap. 7.

Caput VI.

Status quaestionis, cum D. Thomas Summam Theologicam scriberet.

1. De privilegio sive facto Immaculatae Conceptionis nihil clare, nihil expresse, nihil ad literam ante definitionem Ecclesiae traditur in Sacra Scriptura. Unde D. Thomas 3. P. qu. 27. a. 1: „De sanctificatione B. Mariae, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica traditur, quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit.“ Ita quod ipsemet P. Perrone paulo ante dogmaticam Immaculatae Conceptionis definitionem, et agens de hac materia ex professo, scribebat in sua Disquisit. theolog. de Immac. Concept. cap. 15. § 1. et 2. sic: „Fatendum prius ingenue est, nullum prorsus Biblicorum testimoniorum suppetere, quod controversia pro alterutra sententia plane definiat . . . Verum neque ulla e Bibliis argumenta suppetunt decretoria, quibus certo ac definite huiusmodi privilegium in B. Virgine evincatur. Nimis autem obscurus hic textus videtur Genes. cap. 3. v. 15: Inimicitias ponam inter te et mulierem . . . Ipsa conteret caput tuum.“

2. De hac etiam controversia nihil fuerat declaratum in Conciliis generalibus Ecclesiae. Ubi primo de hac exceptione B. Virginis a lege generali incurrendi actu in peccatum originale aliquid insinuat, est in Concil. Tridentino sess. 5. Decret. de pecc. orig. can. 4. Et tamen nihil definiendo, nihil determinando, sed declarando dumtaxat, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.“ Concilium Basileense tetigit controversiam et sententiam pronuntiavit favendo praerogativae: at iam non erat tunc concilium, sed conciliabulum.

3. Sancti Patres et antiqui Scriptores multa praeclara de B. Virgine dixerant, laudantes ipsius puritatem et sanctitatis magnitudinem; sed loquendo in genere de peccato; non tamen in specie aliquid de peccato originali determinando. Et aliunde non desunt ipsorum testimonia, quibus videntur B. Virginem includere in lege generali ceterorum filiorum Adami. Et de facto privilegii non videntur ullam fecisse mentionem. Qui fortasse magis inter antiquos viam paravit ad exceptionem privilegii notificandam, fuit S. Augustinus, dum in lib. de natura et gratia c. 36. scripsit: „Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos et Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsurum putamus?“ Unde et Perrone loco supra citato ait: „Mihi diu ac sedulo expendendi ea Patrum testimonia atque effata, quae praesens spectant argumentum, quaeque maiora qua licuit fide paulo antea descripsi, uti ab alterutrius sententiae patronis afferri singillatim consuevere, animus aliquatenus, ut verum fatear, anceps haesit.“

4. Quoad Divinam Traditionem de hoc privilegio Romana Ecclesia nihil omnino dixerat nihilque manifestum nec insinuat fecerat. Etenim nullum circa hanc singularissimam gratiae praerogativam documentum ediderant Romani Pontifices; nec Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis adhuc celebrabat.

5. Quaedam tamen Ecclesiae particulares celebrabant

iam tunc temporis festum Conceptionis; et consuetudinem harum Ecclesiarum Romana Ecclesia tolerabat. Sed quo sensu, qua significatione celebrabatur festum Conceptionis? Ipse D. Thomas 3. P. qu. 27. a. 2. ad 3. respondet: „Talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius.“

6. Ergo tempore D. Thomae 1. Ecclesia Romana non celebrabat hoc festum. 2. Tantum tolerabat consuetudinem aliquarum Ecclesiarum hoc festum celebrantium. 3. Hoc festum erat sanctificationis Virginis potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius. 4. Expresse declarat Angelicus Doctor, quod quo tempore, quo momento, quo instanti B. Virgo sanctificata fuerit, ignorabat.

7. Et praetera notandum etiam est, quod tunc temporis irrepsit quidam error haereticus in modo intelligendi Immaculae Conceptionis privilegium. Hunc enim errorem videtur vehementer carpere ac reprehendere S. Bernardus in famosa epistola ad Canonicos Lugdunenses, dum scribit: „Miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid patribus doctiores aut devotiores sumus? . . . Valde honoranda, inquis, Mater Domini; bene admones, sed honor Reginae iudicium diligit, Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis et infulis dignitatum.“ Unde B. Albertus Magnus lib 3. Sent. d. 3. a. 4. scribit: „Dicimus, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem: et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a B. Bernardo in epistola ad Lugdunenses et a Magistris omnibus Parisiensibus.“

8. Amplius tunc temporis, etiam explicato in bono ac recto sensu privilegio Immaculae Conceptionis, Doctores ac Magistri tradebant, quod sanctificatio Virginis subsequuta est originalis peccati contractionem. Ita S. Bonaventura 3. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. qu. 2. scribebat: „Hic autem modus dicendi communior est et rationabilior et securior. Communior, inquam; quia fere omnes illud tenent, quod B. Virgo habuit originale . . . Rationabilior etiam est; quia

esse naturae praecedit esse gratiae, vel tempore vel natura... Securior etiam est; quia magis consonat fidei, pietati et Sanctorum auctoritati. Magis concordant Sancti auctoritati; pro eo, quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur ad Rom. 2. v. 12: „Omnes peccaverunt in Adam.“ Nullus autem invenitur dixisse de his, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem. Pietati autem fidei magis concordat; pro eo, quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo ei omnis honor et gloria . . .“

9. Uno verbo: Ipse D. Thomas, Quodlib. 6. a. 7. ait: „Romana Ecclesia et plurimae aliae, considerantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. Aliquae vero considerantes sanctificationem eius in utero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem; creditur enim, quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata.“

Caput VII.

Sensus quarundam locutionum, quas D. Thomas adhibet in hac quaestione de sanctificatione Beatissimae Virginis.

1. Conceptio potest intelligi duplici sensu, scilicet active et passive. Active sumpta significat conceptionem ex parte parentum et includit in suo sensu: 1. vim generativam parentum; 2. conceptionem seminalem sive carnis vel embryonis adhuc non animati anima rationali sive humana. Passive sumpta significat conceptionem ex parte fructus geniti et includit in suo sensu conceptionem passivam adaequate sumptam, id est conceptionem fructus geniti in suo termino ad quem, sive in primo illo instanti, quo anima B. Virginis a Deo creata est simul atque in corpus infusa.

2. Nativitas seu ortus potest etiam intelligi duplici sensu, scilicet in utero et ex utero. Nativitas seu ortus in utero fit, quando proles concepta animatur anima rationali et constituitur persona humana; et sic nativitas fructus geniti in utero idem est quod conceptio passiva in suo termino ad quem, sive conceptio personalis. Nativitas autem sive ortus ex utero significat partum matris, sive emissionem prolis conceptae et animatae in lucem huius mundi. Qu. 27. a. 1. ad 4.

3. Esse sanctificatum ante animationem significat sanctificationem prolis: 1. in persona parentum generantium: 2. in conceptione active sumpta sive actu ipso generationis; 3. in prole concepta, quatenus est caro, corpus, embryo; id est totum processum generationis humanae a termino a quo usque ad terminum ad quem sive instans, in quo anima rationalis a Deo creata infunditur.

Esse sanctificatum post animationem significat sanctificationem prolis conceptae in seipsa, in sua propria persona iam constituta et habente naturam humanam in ratione naturae singularis et individuae completam, perfectam et alteri incommunicabilem. Et potest habere duplicem sensum, nempe post animationem posterioritate naturae tantum, et post animationem posterioritate etiam temporis.

4. Esse sanctificatum post animationem posterioritate naturae tantum, idem significat quod esse sanctificatum in primo instanti conceptionis passivae adaequatae sumptae; in ipso termino ad quem conceptionis passive sumptae; in ipso et eodem momento, quo anima rationalis creatur et, dum creatur, infunditur corpori. Unde sanctificatio B. Virginis post animationem posterioritate naturae tantum, significat, quod in eodem instanti temporis, quo animatum est anima rationali ipsius corpus, et quo constituta fuit persona B. Virginis, tunc simul creata, infusa corpori et gratia gratum faciente ornata. Quoniam prioritas et posterioritas unius rei respectu alterius in hoc sensu solum exprimit, quod unum supponit alterum, et istud praecedit aliud secundum naturam, ratione sui esse, vel suae entitatis; et planum est, quod hoc modo gratia est necessario posterior natura, et natura prior quam gratia, sicut subiectum est prius quam accidens, et accidens posterius quam subiectum. Prius ergo natura est esse quam bene esse; prius esse animatum quam esse sanctificatum et viceversa. Posterius est esse sanctificante gratia ornatum quam esse simpliciter; nam sanctificatio sequitur ad animationem, sicut perfectio ad perfectibile.

5. Esse sanctificatum post animationem posterioritate etiam temporis, importat in sua significatione aliquod tempus medium inter infusionem animae in corpus et infusionem gratiae sanctificantis in animam, inter constitutionem personae B. Virginis et inter sanctificationem ipsius personae Virginis iam constitutae. Qu. 27. a. 2.

6. Esse sanctificatum ante infusionem animae rationalis

idem significat quod ante animationem. Esse sanctificatum post infusionem animae rationalis idem significat quod post animationem. Idcirco esse sanctificatam B. Virginem post infusionem animae potest intelligi vel posterioritate naturae tantum vel posterioritate praeterea temporis. — Consequenter quotiescumque. D. Thomas ait, B. Virginem esse sanctificatam post animationem, post infusionem animae, de posterioritate secundum ordinem naturae intelligi debet; de posterioritate autem secundum ordinem temporis, nullum est opus intelligendi; nec ius interpretandi. Etenim Angelicus Doctor bene sciebat hunc duplicem ordinem posterioritatis et clare explicat multis in locis et apte applicat huiusmodi duplicem posterioritatem ad infusionem gratiae et reliqua, quae requiruntur ad iustificationem impii. 1. II. qu. 113. a. 8.

7. Ergo cum D. Thomas 3. P. qu. 27. a. 2. concludit, quod „Sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem;“ vel cum in Comp. Theol. cap. 232 ait: „Unde post infusionem animae credendum est eam sanctificatam fuisse;“ de posterioritate naturae necessario venit intelligendum; de posterioritate autem temporis non voluit affirmare nec voluit negare, sed ex industria silentium tenuit: 1. Quia Ecclesia Romana silentium etiam circa hanc materiam tenebat. 2. Quia ipse saepe repetit quod: „Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur“ (3. P. qu. 27. a. 2. ad 3;) quae (sanctificatio) quando determinate fuerit, incertum est (3. Sent. d. 3. qu. 1. a. 1. solut. 1. ad 1.;) „cuius (sanctificatio Virg.) tempus ignoratur.“ (Quodlib. 6. a. 7.) 3. Quia „in determinando quaestionem de facto, qualis ista erat, oportebat expectare iudicium Ecclesiae et non rationum humanarum ponderibus duci; ut in suis litt. docet Gregorius XV. supra relatus.“ (Ioann. a. S. Thoma, Approb. Doct. D. Thom. Disp. 2. art. 2.) 4. Quia adhuc plus quam tribus saeculis, postquam D. Thomas Summam Theologicam scripserat, Romanus Pontifex Gregorius XV. aiebat: „Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti Mysterii arcanum Ecclesiae suae patefecit. Nos autem non nisi eo praeunte aeternitatis volumen in christianae sapientiae cathedra legere debemus.“ (Litterae 4. Iulii 1622.)

Caput VIII.

Quid et quantum significare potest praeservatio Beatissimae Virginis a peccato originali.

1. Praeservatio Beatissimae Virginis a peccato originali potest dupliciter intelligi. Primo modo, ut B. Virgo sit praeservata totaliter a peccato originali, ita quod fuerit exempta ab omnibus ad dictum peccatum exspectantibus. Secundo modo, ut B. Virgo sit praeservata a macula peccati originalis per infusionem gratiae personalis, et ab iis, quae a macula sunt inseparabilia et quae cum gratia sanctificante nequeunt esse simul in eodem subiecto. „Est autem inter istos duos sensus maior distantia, quam inter coelum et teram“, ait Caietanus. (Opuscul. de Concept. B. Virginis.)

2. Esse praeservatum totaliter a peccato originali est esse praeservatum ab omnibus, quae antecedunt, concomitantur et subsequuntur ipsam contractionem peccati originalis. Huiusmodi totalis praeservatio excludit: 1. infectionem carnis seu corporis ante animationem; 2. debitum contrahendi maculam peccati; 3. ipsam actualem peccati contractionem; 4. reatum respondentem maculae; 5. reatum clausae coeli ianuae; 6. fomitem peccati; 7. poenam mortis temporalis.

3. Esse praeservatum secundo sensu necessario includit: 1. praeservationem a macula peccati originalis; 2. ab iis, quae a macula sunt inseparabilia, ut est reatus aeternae poenae damni; 3. ab iis, quae cum gratia praeservante a macula non possunt coexistere; ut sunt vulnera originalis culpa.

Sed non negat B. Virginem; 1. carnem seu corpus habuisse ante animationem anima rationali infectum; et quantum est de se et vi conceptionis causam instrumentalem seu viam ad contrahendum culpam; 2. et per hoc in propria persona Virginis debitum contrahendi maculam originalis peccati et debitum contrahendi reatus omnes consequentes ad maculam culpa. 3. Nec negat, B. Virginem esse subiectam de facto morti temporali; et quae se tenent ex parte corporis tantum, ut poenalitates huius vitae. 4. Nec negat B. Virginem esse subiectam etiam poenae non ingrediendi in coelum usquequo Christus ipsius Filius per suam mortem non aperuisset ianuas paradisi clausas per originale peccatum universo humano generi. Poena enim mortis temporalis

est poena naturae ex parte carnis; et reatus clausae ianuae coeli erat poena naturae ex parte temporis; quia scilicet Christus adhuc non apparuerat, ut per suam mortem ianuas Paradisi per originale peccatum clausas aperiret. Et similiter fomes ex parte carnis se tenet.

4. Esse praeservatum primo modo, id est totaliter a peccato originali, est, quod D. Thomas vocat: „nunquam incurrere maculam originalis culpae“; „nunquam contagio peccati originalis esse inquinatum“; „nullo modo contrahere originale peccatum“: quod docet proprium solius Christi, qui in sua Conceptione fuit sanctus.

Esse praeservatum secundo modo id est a macula seu labe culpae originalis non excluditur ab eo, quod D. Thomas vocat: „esse culpae obnoxium“; „incurrere aliquo modo originale peccatum“; quod Angelicus Doctor contraponit ac contradistinguit ad „nullo modo incurrere“. (Art 2.)

5. Esse praeservatum a peccato originali totaliter, omni modo, est: 1. non incurrere peccatum originale actu nec potentia debitrice, ac proinde non habere necessitatem seu debitum incurrendi; 2. esse praeservatum ex vi conceptionis activae seu generationis; 3. esse liberum tam ratione naturae quam personae; 4. non indigere redemptione et salute, quae est per Christum.

Esse vero praeservatum a peccato originali alio modo est: 1. incurrere peccatum originale potentia debitrice, non tamen actu; ac proinde debitum incurrere contrahendi peccatum, sed non in malum peccati deiectum fuisse; 2. incurrere quantum est ex vi et modo suae conceptionis; 3. esse liberum non ratione naturae nec ratione suae personae, sed ratione gratiae singularissimae factae ipsi personae B. Virginis; esse immunem a labe culpae, non ex vi legis ordinariae, sed privilegio, quod est exceptio ab ordinaria vel communi lege; 4. ideoque indigere redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur (Matth. I, 21): „Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.“ Qu. 27. a. 2.

6. Denique praeservatio B. Virginis ab omni labe originalis culpae, quam hodie iam fide tenemus tamquam doctrinam a Deo revelatam, ita fuit exacte descripta atque explicata quatuor saeculis ante solemnem dogmatis declarationem ab ipso Caietano in Commentariis supra Art. 2. huius quaestionis. „Si autem tenetur, B. Virginem, non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima in

ipso instanti infusionis animae infusae illi animae praeservatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia affuisset, nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae Matris. Sic enim ipsa tunc incurrisset peccatum, nisi munus gratiae praevenientis non tempore sed natura affuisset. Et ita puritas eius fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit redimi, qui ex vi suae conceptionis fuit sanctus.“ Fuitque in B. Virgine, quod animale est, prius natura, non tempore, quam quod spirituale est; quoniam infusio gratiae in ipsius anima supponit productionem animae, quamvis, ut dictum est, praeveniat peccati maculam, quae tunc incurrenda erat, nisi gratia illa impedisset.

7. Unde est duplex modus incurrendi in peccatum, et duplex modus redimendi seu liberandi a peccato. Duplicem modum incurrendi in peccatum originale ita docet D. Thomas lib. 4. Sent. d. 43. qu. 1. a. 4. solut. 1. ad 3.: „Oportet ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae. Liberari autem a malo vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit vel in malum deiectus fuit.“ Duplicem autem modum liberandi a malo ita cum S. Augustino D. Thomas 2. II. qu. 106. a. 2: „Gratiae tuae deputo et misericordiae tuae, quia peccata mea tamquam glaciem solvisti; gratiae tuae deputo et quaecumque non feci mala: quid enim facere non potui? Et omnia mihi demissa esse fateor, et quae mea sponte feci mala, et quae te duce non feci.“ „Unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquid sine debito vel immunis a malo nascatur; sed quia cum debito natus, postea per gratiam Christi liberatur.“ D. Thomas lib. 4. Sent. ibid.

8. Quapropter Caietanus tractatu de Concept. Virg. cap. 3: „Dicitur enim a peccato originali mundatus non solum, qui contracta actuali culpa mundatus est, sed qui a macula quidem, in debito et initio in propria persona fundato, mundatus est. Nec putet quisquam de mea haec phantasia proferre, sed videat D. Thomam 1. II. qu. 81. a. 2. sustentem, quod per mortem sufficit intelligere debitum seu reatum in propria persona mortis, quamvis nunquam actualiter aliquis moreretur.“

Et sic iuxta supra positam D. Thomae doctrinam hanc Beatissimae Virginis, non quia cecidit, sed ne caderet,

liberationem fatentur tam Caietanus quam ipsemet Angelicus Doctor rationem gratiae mundativae, reconciliativae et redemptivae habere. Quod valde notandum est a theologo ad recte capiendum atque intimius rimandum argumentum illud, quod D. Thomas frequenter usurpat et tantopere facit atque repetit veluti unicum argumentum habens vim, robur et pondus in praesenti quaestione, nimirum: „Si quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae et ita non indignisset redemptione et salute, quae est per Christum.“ (3. P. qu. 27. a. 2. et alibi passim.) Nunquam, id est: 1. nec per actualem culpam; 2. nec per maculam in debito in propria persona fundato. Unde nunquam hic significat nullo modo: nec actu nec potentia, nec in facto nec in debito. Sicut verificatur de Christo, de quo D. Thomas in qu. 2. ad 2. ait: „Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus.“ Haec praenotavimus.

